

(3)

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
1779, 9^a
DE
VERÆ PATHO-
LOGIÆ FUND-
MENTIS,

QUAM,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU.

PRÆSIDE,

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
ACADEMIÆ h.t. PRO-RECTORE MAGNIFICO
ET ORDINIS MEDICI DECANO,

PRO GRADU DOCTORIS

IN ARTE SALVTARI OBIINENDO

Placido Philiatrorum Examini submitter

JOHANNES TOBIAS LIPPERT,
LIGNICENSIS - SILESIUS.

DIE MAJI A. C. M DCC XIX.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

ОБРАЗЕЦ
ЗАСЛУГИ НАРОДА

СИБИРИ

ОБРАЗЕЦ
ЗАСЛУГИ НАРОДА

СИБИРИ

ОБРАЗЕЦ
ЗАСЛУГИ НАРОДА

СИБИРИ



DISSERTATIO SOLENNIS

DE

FUNDAMENTIS VERÆ PATHOLOGIÆ.

PROOEMIUM.



I ulla in universa no-
stra arte doctrina majori utili-
tate ac fructu se commen-
dat, atque etiam scitu medi-
cis summe est necessaria, pro-
fecto ea est, quæ de funda-
mentis pathologiæ veris & ex ipsius naturæ libro
descriptis ac petitis accurate & solide instruit, his
enim probe intellectis ac cognitis non modo ad
judicium subactius proferendum de phæno-
menis,

A 2

nis,

nis, quæ circa morbosas affectiones machinæ nostræ occurunt, reddimur aptissimi, sed etiam efficaciter, ubicunque opera nostra efflagitatur, officio nostro satisfacere poterimus, siquidem præeos solidæ fundamenta ab iisdem, quæ in pathologicis constructa ac firmata sunt, unice dependent. At vero quo majori & plane mirifica utilitate hæc doctrina eminet, hoc negligentius & incuriosius fere in medicorum monumentis tractatur, imo si dicere volumus quod res est, alibi non satis exquisite & solide est agitata, alibi vero plane silentio transmissa. Veteres enim medicos quod attinet, ii quidem plura, quæ ad morborum indolem, genium, progressum & eventum pertinent, in scriptis suis consignarunt, sed quoniam corporis humani plena & exacta structura, quæ anatome solertia indagatur, neque minus solida mechanices & rerum naturalium scientia caruerunt, præterea observationes paucas, breves & minus completas conscriperunt, mirum videri neutquam debet, eos pro veræ pathologie fundamentis sterilia maxima ex parte nomina & inanes cerebri conceptus venditasse, verasque, uti vitæ, ita & mortis & morborum causas ac congruam iis medendi methodum ignorasse. Quemadmodum

ad-

PROOEMIUM.

admodum vero veteribus ob allatas rationes facile condonandum est, ita certe majorem vituperii poenam incurront nostri seculi medici, qui in veræ pathologiae fundamentis adstruendis, cum tamen præstantissima in re anatomica, physica, botanica, chymica & mechanica hodie prostent & publici usus facta sint inventa, enormiter adeo impingunt & hallucinantur, tamque jejunos & frivolos conceptus fovent. Causas hujus supinæ ignorantiae inquisitoris harum plurimæ inventu non difficiles occurrent, inter quas non exigua est, quod plures ex recentioribus tam negligentes sint in observationibus practicis accurarioribus adornandis, cum tamen præcipuum fundamentum recte de morborum natura atque indole ratiocinandi inde peti ac desumi debeat. Deinde quoque pauci didicerunt, quo pacto inventa illa præcellentissima physica ad historias morborum & observationes decenter adiplicant, hinc plerumque illa tanquam minus utilia vel plane rejiciunt atque neglectui habent, vel si ea aliquo modo aestimant, iis non accommode uti scient. Ut enim hac vice sanguinis tantummodo circuli mentionem injiciamus, quis quæsto divino plane illo invento ad pathologiam & therapiam

A 3 scien-

Scientifice tractandam satis recte usus fuit? vides
as enim quotidie adhuc repeti falsas conclusio-
nes ex diu repudiatis veterum monumentis pro-
tractas, quæ sanguinis circulo e diametro quasi
oppositæ sunt. Tandem quoque inter rationes,
quæ impedimento fuerunt, quo minus patholo-
gia veræ sacraria adire potuerint medici, non in-
fima est, quod plures fictis principiis & hypothe-
sis nimium in doctrinis suis inhæreant & in no-
vis condendis, iisque antiquitatis consensu subin-
de confirmandis tantopere delectentur. Paucis-
simi medicorum in veritatis indagine suo sensu &
ratione utuntur, ducentque optimam nimirum
naturam simpliciter sequuntur, sed aliorum poti-
us dogmata, quæ plane infallibilia judicant, fer-
vili animo arripiunt, eorumque opinionibus tan-
quam Icopulis Sireniis adhærescunt, nutus illo-
rum pro voluntate, iusta pro legibus, responsa
pro oraculis habendo. Et, quod maximum est,
has opiniones suas obtorto quasi collo ad mor-
borum historias plerumque mutilas, nec suffici-
enter instructas pessime detorquent, & hoc modo
simplicia naturæ judicia petulanter frangunt pro-
pemodum ac subvertunt, ex quibus tamen vera
pathologia unice est depromenda. Cum itaque
tan-

tantis difficultatibus expositum sit pathologicum studium & tot tantisque tricis apinisque involutum, non abs re fore judicavimus, si ad communem rei medicæ utilitatem sepositis tanti per omnibus hypothesibus loco Speciminis Inauguralis fundamenta illa proponeremus, quibus omne de morbis ratio cinium ac medendi methodus superstrui unice debet. Et hoc jam unicam & fidelissimam veritatum medicarum matrem natu ram nempe simplicem sequendo bono cum Deo, cuius opem ea, qua par est, veneratione ardentissime imploramus, omni modo præstare contendemus.

§. I.

 Um itaque nostrum propositum sit in præfenti dissertatione fundamenta pathologie veræ exhibendi & ostendendi, quod ab iis potissima eruditionis medicæ pars dependeat, non abs re fore existimamus, si paucissimis tantum verbis attingamus, quam arcta conexio inter physiologiam & pathologiam veram intercedat, priusquam ad ipsam definitionem pathologie, & fundamentorum ex ea deductionem atque elucidationem nos accingamus. Quemadmodum igitur physiologia veras vitæ & sanitatis causas tradit & motuum, qui

3 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

qui conservant machinam nostram, indolem, naturam atque usum explicat: ita pathologia vicissim genuinas mortis & morborum causas atque effectus, qui ex ordine motuum perverso profluunt, unice exponit, unde clarissime apparere arbitror, illum medicum, quem genuina physiologiæ principia latent, in pathologicis quoque rebus explicandis exacte procedere non posse. Etenim ex scientia corporis humani vivi & sani nascitur vera scientia corporis ægroti sive pathologia, quin imo omnes medicinæ partes harmonico quodam concentu invicem conspirant.

S. II.

Ut vero proprius scopum nostrum attingamus, omnino necessarium fore ducimus, veram pathologiæ definitionem præmittere. Est vero illa ipsa doctrina, quæ ex integris morborum historiis eorum origines, generationem, progressum, peculiarem indolem, neque minus symptomatum atque eventuum rationes ex motuum natura ac legibus, quæ in republica corporis nostri observantur, convenienti nexus & ordine tradit, explicat & ad maximos in praxi medica usus accommodat. Ex hac definitione reali omnino conspicuum fit, pathologiam veram ab erronea & vulgari illa toto cœlo differre, siquidem illa pro fundamentis agnoscit completas & exquisitissime consignatas observationes, itemque principia anatomica ac mechanica motuum manifesta & abiende suas deductiones & conclusiones in praxi utilissimas format: erronea vero atque superficiaria fallacibus duntaxat experimentis, incompletis observationibus & dubiis opinionibus atque hypothesibus

tan-

tanquam fundamentis innititur, unde nullum solidum de affectu quodam judicium formari vel aliud quicquam vera laude dignum in usum artis nostræ redundare potest.

§. III.

Duo igitur, uti ex allata definitione patescit, sinceræ pathologie sunt fundamenta, ex quibus omnis scientia de morbis & methodo iis succurrendi depromi debet, unum scilicet & primarium est plenissima & singulorum morborum historia, quæ ex compluribus observationis & annotatis circumstantiis nascitur: alterum vero est corporis nostri structuræ motuum, omniumque earum rerum, quæ quandam illius status mutationem inferre possunt, exquisitior scientia. Ut enim communiter in Jurisprudentia aliquæ scientiis veritas duplicitis generis statuit & alia veritas facti dicitur, quæ maxime memoria & attentæ diligentia soboles est, & res contingentes ac factas cum omnibus circumstantiis sub debito nexu, ordine, tempore describit, alia vero demonstrativa sive rationalis audit, & ex principiis jam claris & cognitis phænomenorum ac effectuum causas, modum & fines inquirit & utilissima theorematum vel axiomata format, quorum recto usu ex notis ignota erui porro atque inveniri possunt: ita quoque in pathologicis sub nomine veritatis facti comprehenduntur observations & historiæ morborum cum omnibus ac singulis phænomenis atque circumstantiis notatæ, ex quibus deinceps veritas altera nempe demonstrativa suas rationes ex principiis jam claris apta connexione deducit & universalia axiomata format, quæ ad incognitarum veritatum in-

B

ven-

10 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

ventionem facem præmonstrant. Utraque ad veram pathologiam constituendam summe est necessaria. Veritas vero facti, quæ integrum morbi quoad omnes circumstantias, ortum & progressum atque exitum historiam describit, basis est reætæ ratiocinationis in medicina & ordine debet præcedere.

§. IV.

Quod vero accuratores morborum historiae & observationes sint primum & præcipuum pathologiae fundamentum, exinde demonstratur, quia ex illis in copia & accuratiori studio collectis demum vera experientia, quæ medicinæ anima est, quæque ornat & perficit medicum, enascitur, quæve pathologia ex tali fonte suos rivulos non deduxit, sterilia omnino ac nullius usus & applicationis ratiocinia adfert. Et profecto quivis solertiorum medicorum in hanc nobiscum sententiam descendet, siquidem nullatenus dubitandum, quin ad progressum artis nostræ salutaris augendum observationes præ ratiociniis potiores partes sibi vindicent, eo quod plura circa corporis naturam phænomena subinde observentur, quorum vera ratio & adæquata causa difficilis & abstrusa cognitionis est & permanet. Quodsi igitur medici ad altiorem dignitatis gradum artem suam evehere cupiant, id vix alio modo aptiori effectui dare poterunt, quam sedula imitatione methodi, quæ eximii nostri temporis astronomis est familiarissima, quippe qui observationibus, quas hinc inde circa siderum motus instituerunt, inter se probe collatis id effecerunt, ut eorum cursum & situm vel centum annis prædicere possent. Nos spe alimur firmissima, si medici diligenter

ter

ter omnia, quæ circa morborum generationem, decursum & curationes contingere solent, annotarent & observata invicem conferrent ac cum publico communicaarent, brevi futurum, ut ars nostra ad majus certitudinis fastigium non solum in prædicendis & avertendis morbis, sed & iisdem dextre sanandis, totoque eorum decursu prædicendo perveniat. Demosthenes interrogatus, quidnam esset in oratore primum? respondit actio; quid secundum? actio; quid tertium? actio. Si quis jam nos interrogaret, quidnam esset in pathologicis primum, jure optimo responderemus: observationes & historiae morborum; quid secundum? itidem observationes & historiae morborum; quid tertium? eadem observationes & historiae morborum.

§. V.

Cum vero plurimum interfit, qua ratione instituantur in medicina observationes, ut exinde optatam utilitatem ac fructum percipiamus, idcirco non abs re fore existimamus, si, quænam sint requisita genuinarum observationum, dilucide exponamus. Potissimum vero momentum in iis adornandis generatim huc redit, ut eas plenas ac integras nullisque circumstantiis aliquius momenti destitutas sistamus. Sicuti enim Jurisperiti, quando de iure respondere ac sententiam ferre debent, integrum, ut loqui amant, facti speciem cum necessariis suis circumstantiis requirunt: ita etiam medici non nisi ex completis morborum historiis sapere & quippiam firmi vel solidi dicere aut concludere possunt, eo quod sepiissime in unica levissima primo intuitu visa circumstantia multum momenti situm fit. Operam itaque

12 DISSERTATIO SOLEMNIS DE FUNDAMENTIS

dare debemus, ut plena & perfecta observationes un-
diquaque conqueramus, quarum revera numero satis ex-
iguæ in medicorum tot monumentis nobis relictæ sunt.
Et, si ingenuæ fateamur, quod res est, de plerisque cer-
te, quas apud veteres non minus, quam apud recentiores
videas, jure dixeris eas observationum potius fra-
gmenta, quam ipsas observationes, quales in verum salu-
taris artis incrementum conscribi oportebat. Maxi-
mopere quoque id attendendum, ut observationes & hi-
storiæ morborum describantur stilo plano & iisdem lo-
quendi formulæ exculto, quibus ægrotantes suas nobis
exprimunt affectiones: nihil, quod subtilem disputan-
di rationem, vel inanis eruditio speciem redolet, est
intermiscentum, sed omnia iisdem prorsus modis, qui-
bus locuta est natura, fideliter adnotanda. Et hæc in
genera de morborum historiis adornandis satis dicta
sunt.

§. VI.

Jam ad specialiorem magis hujus rei illustrationem
provolvimur & ea, qua pars est, accuratione ostende-
mus, quenam speciatim momenta in observationibus
recte instituendis & morborum historiis condendis ne-
cessario explorari atque inquirendeant. Conscriptu-
ris igitur observationes & historiam de morbo quodam
ante omnia sollicite dare operam incumbit, ut indivi-
dui ab illo morbo affecti exactam sibi comparent noti-
tiam, siquidem primus & præcipuus medendi cardo in
eo unice verti mihi videtur, ut medicus, quando cor-
poris alicuius sanandi curam suscipit, exquisitiiori illius
constitutionis polleat notitia, & cum primis attendar,
qua-

quænam in ipso illo homine peculiaria deprehendantur. Etenim hoc scitu maxime est necessarium, quoniam mœrbus idem & eadem causa, quæ ipsum facit, pro differenti corporum constitutione mirum dissidentia symptomata atque effectus producunt. Ad interiorem vero corporis ægrotantis naturam cognoscendam requiritur non solum, ut ætatem, sexum, strueturam partium, temperamentum, vires, hæreditariam ad morbos dispositionem, vitæque genus, mores & inclinationes animi & consuetudines consideremus: verum etiam diligenter expiscari oportet, in quo statu omnis generis excretiones positi sint vel fuerint; an alvus, poruli cutis & reliqua emunctoria valde constricta aut relaxata nimis sint? quem in finem quoque urina inspicienda, ejusque copia, sedimentum, consistentia, color, interveniens mutatio, quandoque & odor attendenda, stercore videnda, vel ad minimum de eorum qualitate vera ab adstantibus relatio expetenda, linteamina quoque corpori nudo superinjecta, ut transpirationis conditio patefacat, probe aspicienda & quæ sunt alia a nobis consulto hic prætermittenda. Juvat etiam inquirere, quo forsitan morbo antea laboraverit æger? an is perfecte & secundum rationales artis leges curatus fuerit, vel an imbecillitatem partium & dispositionem ad similem morbum repetendum, vel ad alias longe deteriores & periculosiores affectiones producendas forsitan reliquerit? qua ratione prior morbus fuerit solutus atque finitus? an nimium perfecta ejus solutio successerit, an imperfecta? Neque minus proderit considerare, qualis sit sanguinis status? num is nimium abundet aut defectu laboret?

14 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

ret? quænam adsit vasorum tam venosorum, quam arteriosorum capacitas? num ea nimis angusta vel ampliora existant? utrum sanguis valde impurus sit? qualis dispositio viscerum, & generis nervosi constitutio? robusta, an imbecillis fuerit? Hæc omnia & singula judicio medici probe subacta in morbis tam cognoscendis & dijudicandis, quam dextre curandis egregium lumen adferunt & ad judicium rectum de historiis morborum ab alio consignatis proferendum omnino requiruntur.

§. VII.

Quemadmodum idem alimentum, idem medicamentum, idemque venenum longe alias diversissimosque effectus & operationes pro differenti corporum indeole edunt: ita etiam morbificæ causæ ejusdem indolis plane multis modis diversam morbi faciem ratione symptomatum, ratione periculi & salutis in diversis subjectis exhibent. Ut exemplo quodam hoc adserendum illustreremus: ponamus diversæ corporis constitutionis subjecta, quæ ab una eademque causa, nempe a communicato ex impuro coitu miasmate relaxationem, erosionem vel exulcerationem prostatarum & minimarum urethræ glandularum conceperunt, & ingonorrhœam sic dictam virulentam inciderunt. Hic certe pro diversitate subjectorum, quibus hoc malum infidet, diversissimæ plane indolis observabuntur symptomata & differens quoque curationis successus ac morbi eventus. Quandoquidem si ætate juvenes, temperamento sanguineos & cholericos & eos adoritur hæc passio, qui nunquam antea hoc malo laborarunt, qui succos in venis alunt bonos & robore nervorum gaudent, benigni-

ora

ora erunt cuncta symptomata, non tantus dolor, ardor, stranguria, laffitudo corporis, inflammatio & putredo genitalium se exerent, facilius etiam medicamentis tractabitur, imo solius diætæ accuratiore observatione paucō dierum spatio sponte ut plurimum cessabit. At si incidit in eos, qui temperamento sunt melancholici aut phlegmatici, & genere nervoso pollent imbecilliori, quorumque partes genitales ob malum olim jam familiare promtam dispositionem ad id retinuerunt, sique simul atas est paulo proiectior & humores corporis scorbutici & cacochymici sunt, mali longe alia facies appetet & non modo difficilius curatur, sed etiam symptomata omnia fuent acerbiora, imo prorsus nova, uti condylomata, erosiones ulcerosæ glandis, constrictiones & miræ intumescentia præputii, interdum junguntur, quibus nonnunquam vel diuturnum & insanabile feroſi liquoris profluviū vel ipſa feða a venere nuncupata lues succedit. Nolumus ad hujus adſertionis ulteriorem comprobationem prolixiores esse in exemplis adducendis, cum quivis in praxi exercitatus medicus facile nobis concedet, pro peculiari ægri alicuius constitutione caufarum effectus in iisdem morbis subinde non nihil variari. Nihil magis igitur optandum quam ut omnes, qui prudenter in artis salutaris exercitio verfari cupiunt, hanc præstantissimi usus regulam alta semper mente repositam habeant, non dari absolutas agendi vires in corporibus, sed omnes esse conditionatas & relativas atque mirifice pro diversa corporum, in quæ agunt & quæ illas recipiunt, conditione mutari atque dispensari.

§.VIII.

16 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

§. VIII.

Præterea observationes, si utilitatem aliquam eximiam in praxi adferre debent, morbi genus ejusque genium, origines, progressum & varias ad eorum generationem concurrentes causas accurate describant necesse est. Perspecta enim corporis ægrotantis natura præcipua cura esse debet medici, ut morbi genium, peculiarem indolem & causas anxie perscrutetur, siquidem unusquisque morbus singularem & quasi propriam indolem, qua incedit, habet, dum non modo certos typos, tempora, periodos ac ordines in accessione ac incremento servat, certis etiam modis & per certas vias atque excretiones solvit, sed & plane speciali ratione in turbandis & pervertendis motibus & actionibus secundum naturam seu symptomatis efficiendis singuli procedunt, ex quibus omnibus probe collatis morbus recte cognoscitur & ab aliis quoque distinguitur. Denique ex erratis in diæta & usu rerum, quibus quotidie ad corporis conservationem indigemus, commissis pri-mordia & morborum origines probe cognoscere juvat, quod certe ad præservationem a morbis amplissimum usum habet. Maxime omnium vero morborum cau-sæ proximæ indagandæ erunt, quibus inventis curatio-nem inventam esse constans & philosophorum & medi-corum perpetuaque fuit sententia. Sapienter enim pro-di-tum est ab Hippocrate ejusque fidis feciatoribus, medi-cum ad sanandum sufficere, si ad cognoscendum sufficerit, uti-ait Libr. de Arte §. 20. Id quod pressius adhuc exprimit Libr. de statibus §. 2. Si quis causas corporis affecti probe co-gnoveris, potens est valde ea corporibus adferre, que corpori
com-

commident nimurum contraria, morborum natura perspecta.
Atque etiam præclare hanc in rem sribit *Corn. Celsus*.
dum inquit: *causæ morbi investigatio ejusque primordia &*
occasio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt amplissimam.

§. IX.

Excellentem itaque hunc scopum semper sibi præfixum habeat solers morborum historiographus, ut singulas circumstantias probe annotet, quæ ullo modo ad causæ morbi intimorem cognitionem facere possunt, nam ex morborum causis bene perspectis aptas curandi indicationes sibi formare debet medicus. Inepta illæ, quas in monumentis suis subinde autores medici proferrunt, indicationes, quæ in ablationem causæ dirigi debebant, certo nobis persuadent, nec unquam de genuinis morborum causis adæquatum & frugiferum se fovere & fovisse conceptum. Quid enim sibi volunt nominales illæ indicationum in morbis expressiones, dum dicunt: furibundum archæum esse sedandum, & depressum ac emortuum excitandum, naturam in opere suo deficientem adjuvandam, ejus errorem corrigendum, naturam vel archæum alibi & minus recte occupatum vel aberrantem sui officii admonendum, discursivum spirituum motum sistendum, perturbatam sanguinis & humorum crasis reparandam, morborum fermenta peregrina ejicienda, viscerum fermenta debiliora & acido exuperante deturpata reparanda & acidum certis morbis ingenerandis aptum invertendum, lympham fermenticam acido-volatilem tollendam, humorum qualitatem malignam temperandam & expellendam, calidum

C

dum

18 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

dum innatum restaurandum esse & id genus innumera alia, quibus paginas implere nauseam cieret lectoribus. Hæ & similes obscuræ, nihil reale significantes, neque ad vitæ, sanitatis vel morborum rationem explicandam vel ad remediorum inventionem idoneæ medendi indicationes, quæ proxime ex causarum morbificarum peculiari natura perspecta depromendæ essent, satis superque manifestant, genuinas morborum & symptomatum, imo mortis causas ejusmodi speculatoribus minus esse perspectas, planeque incognitas. Neque adeo mirum videri debet, si ab eorum medicatione parum commodi in miseros ægrotos redundat.

§. X.

Deinceps quoque observationes & completæ de morbis historiæ, si ad faciliorem & tutiorem sanandi rationem facere debent, remediorum, quæ adhibita fuerunt, operationes contineant. Aufim dicere, ex illis rebus, quæ ad augendam medicinæ utilitatem & dignitatem faciunt, nihil hoc ipso aptius esse. Operationes enim remediorum multum pro diversitate corporum, naturarum, morborum & temporum differunt. Gaudet enim quodvis & maxime potens remedium certa & mechanica agendi & operandi facultate, quæ medico utique exacte cognita esse debet. Siquidem is demum veri medici nomen tueri mihi videtur, qui non modo optima ad usum feligit remedia, sed & illa ipsa rite præparare novit, eorumque vires & in agendo proprietates in tot diversissimis casibus probe perspectas cognitasque habet. Ex quo illud commodi maxime emergit, ut iis etiam postea majori cum certitudine &

ju-

judicio uti possit. Nam quodvis medicamentum manifesta quadam agendi virtute instructum tam promptum est ad nocendum , quam ad juvandum , pro eo nempe, ut quis illo utitur. Evidem cuncta remedia tunc profund eximie, quando recte & debito tempore usurpan tur, nocent vero eadem non parum, quando minus recte & considerate adhibentur. Mirifice igitur Hippocrates medicamentorum facultates, quas habent, medicorum memoriae commendat, cum ait in Libr. de decensi ornatu. § 8. firma memoria tenere medicamenta & simplices facultates & descriptas (intelligo per observationes) se modo tales existant. Sunt & in memoria tibi morborum curationes & harum modi, quotupliciter & quomodo iu sanguis sese habeant. Et sane, cum omnium remediorum vires maxime sint relativæ, variisque conditionibus limitatae, non absolutæ, neque unice a sphæra activitatis suæ, sed simul etiam, ut philosophi loqui amant, a modo receptivitatis, sive, quod unum idemque est, a dispositione interna partium & naturæ auxilio dependeant, facile patere arbitramur, maximum inde ad medicinæ incrementum pondus accedere, si in historiis morborum conscribendis simul accuratissime annotetur, quasnam in hoc vel illo subiecto, in hoc vel illo morbi statu mutationes intulerint medicamenta. Remediorum enim virtutes pro diversa corporum, morborum & temporum constitutione atque conditione scire, dimeri & determinare posse, principium est in medicina, medium ac finis.

§. XI.

Denique ad observationes & completas morbi historias adornandas sectio cadaverum morbis defunctorum hominum maxime pertinet, quandoquidem non facile aptius & certius ad naturam morbisicæ causæ & sedem affectam pernoscendam, imo ad mortis causas detegendas medium sectione & inspectione solertiori cadaverum eorum hominum, qui iisdem morbis extinti sunt, inventur. Quanquam enim non omnia, quæ in dissectis cadaveribus observantur, semper primæ & proximæ morborum causæ habendæ sint, sed sæpius effectus tantum causarum atque ipsius mortis, nihilominus non raro accedit, ut hac ratione genuinæ subinde morborum atque symptomatum insolitorum causæ manifeste fiant. Noti mihi sunt plurimi casus, ubi tum in ipsis morbis, tum in eorum causis cognoscendis non incelebres etiam, sed magni nominis medici valde hallucinati sunt, maxime aliena de morborum quorundam indole & causis proferendo, quorum erroneas speculationes cadaveris post mortem apertio evidentissime refutavit, facta enim sectione utplurimum polyposæ in corde vel vasis majoribus concretiones aut empyemata in pectori, abscessus mesenterii, calculi in vesicula fellea vel vesica urinaria, rupta sanguinea vel lymphatica vasa, ingentes glandularum tumores, scirrhositates vel corruptiones putredinosæ viscerum, uterus disruptus in conspectum venerunt, de quibus nihil plane antea cogitatum fuit. Monendum adhuc hoc loco est, ne in cadaverum dissectionibus causam morbi confundamus cum causa mortis, quod a plurimis minus sinceroribus medicis fieri as-

fo-

folet, quibus sufficiens eruditio ad judicium aptum de læsionibus partium, quæ in sectionibus deprehensæ furerunt, ferendum deficit. Nonnulli etiam data opera causam mortis pro causa morbi habent, ut hoc pacto aliis imponant, quasi nulla arte morbus, quo vita defunctus fuit æger, medicamentis potuisset restitui, ut sub hoc inevitabilis moriendi necessitatis prætextu famam suam salvam integrumque conservent.

§. XII.

Dissectiones itaque cadaverum frequentiores & solertiores a medicis anatomæ peritis majorem in modum commendandæ sunt, eo quod vera causarum morbi cognitio & prudens remedierum ad eas auferendas applicatio duo quasi poli sint, circa quos tota praxis medica vertitur. Et utut accurrior causæ morbificæ cognitio non semper satis sit ad morbum tollendum, si nempe is remediorum efficaciam vincat, non tamen ideo inquisitio diligentior cadaverum tanquam labor parvæ utilitatis incusanda, quod a nonnullis sciolis, qui sapientiam suam non ex puro naturæ fonte, sed ad instar aranæ ab indigestis cogitationibus perpetuo educunt, fieri confuevit, siquidem ad minimum id efficit, ut medicus, an morbus similis forte occurrens sanationem admittat, nec ne, & quænam medicamenta huic malo avertendo idonea sint, quæ non, dijudicare possit. Profecto ex unica per anatomæ circa morbi alicujus causam facta observatione plus utilitatis in praxin, præfertim si eadem affectio iisdem plane circumstantiis stipata denuo occurrat, redundabit, quam ex mille subtilibus theoreticorum ratiunculis ex fictitiarum hypothesium

C 3

scri-

22 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

scrinio depromtis. Pulchre hanc in rem scribit Georg. Baglivus Lib. I. Praxeos medicæ cap. V. §. 6. dum ait: errant, qui pitant, se morbos feliciter curaturos, quia doctrinam theorizandi ad amissum callent; errant, inquam, quia medicus ad multo altiora respicere debet, ut innocentem artem a calumnis vindicet, ægrosque a morborum tedium ad salutis tranquillitatem revocet: cadaverum hominum morbis denaturum secunda sunt ei, manusque inquinandæ, ut inveniat, quæ morbi sit sedes, quæ causa, qui exitus antecedentium symptomatum, qui denum effectuum omnium in antecedentii morbo observatorum eventus.

§. XIII.

Reliquum jam est, ut etiam dicamus, quinam fructus ex medicorum plenioribus observatis in perfectionem & certitudinem artis nostræ redundant. Sunt vero hi eximii. Neque enim alia via vel methodus suppetit, qua morbos a se invicem probe distinguere eorumque causas multum quoque dissidentes cognoscere possumus, quam per multiplices & recte institutas observationes. Ad prudentem etiam prognosin sive ad judicium de morborum eventu formandum, quæ doctrina mirifice ornat & perficit medicum, ejusque existimationem auget, certior & melior, quam per observationes, nulla via invenienda est. Quam infinitæ circa morborum prognosin regulæ in Hippocratis aliorumque veterum monumentis prostant, que tamen maxima ex parte fallaces sunt, tantum abest, ut pro universalibus sententiis & aphorismis veris haberi possint. Idque accidit maxime ob eam rationem, quia non ex integris morborum historiis, sed ex eorum fragmentis tantum

&

& quibusdam, non omnibus & singulis circumstantiis deponitae sunt. Igitur longe perfectior & hæc doctrina de prognosi speranda nobis erit, modo ex multiplici observatione & accuratiori consideratione circumstantiarum prognosticas regulas elicere incipiamus. Neque dici fatis potest, quam utilia corollaria in usum futurum ratione methodi medendi, ratione applicatio-
nis remediorum, & in cognoscendo, quanam ex horum genere noceant vel profint, hauiriri queant: medico enim nunquam desistendum est ab oblerationibus & experimentis, neque ulla, licet etiam minoris momenti videantur, negligenda sunt. Nos certe non facile casum quendam medicum prætermittimus, quia vix ullus incidit, ex quo non quippiam adhuc addiscere possimus, cum ad minimum, quod jam inventum & cognitum fuit, exinde confirmetur.

§. XIV.

Inter alios vero fructus, quos ex recte consignatis morborum historiis & observationibus expectare possumus, non mediocris quoque est is, quo ad dissidentes medicorum hypotheses, opiniones & controversias etiam in praxi decidendas reddimur aptissimi. Quodsi enim ulla certe medica disciplina innumeris opinionum fragmentis, sectis & controversiis immersa est. Ex harum vero dissidentium opinionum labyrintho nosmet extricandi non meliorem novimus modum, quam si tum applicationem ad medicas observationes, quæ cum ac immutabilem naturæ ordinem & processum in vita, sanitatis ac morborum negotio complectuntur, urgeamus, tum enim facile earum sterilitas apparebit, eo quod tam

24 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

tam paucis phænomenis & circumstantiis explicandis congruant aut sufficiant. Quot diversissimæ medicorum in praxi medica circa remediorum valentium & heroicorum v.g. venæ sectionis, fonticulorum, vesicatoriorum, purgantium, emeticorum, mercurialium, opiatorum, chinæ chinæ, salium volatilium, martialium sunt sententiæ, dum quidam in certis morbis sanandis illa in cœlum quasi efferunt, alii eadem in iisdem morbis penitus deprimit & damnant & singuli tamen, ut assertiones suas confirment, ad experientia asylym confugint. Hic certe non proclivior emergendi ex hisce difficultatibus patet via, quam si observationes cum cura & diligentia conscriptas de illis morbis, in quibus damnum vel salutem hæc medicamenta attulerunt, consulamus, tunc enim facile apparebit, pro differenti circumstantialium ratione in eodem morbo remedia hæc insigne opem vel luculentum etiam damnum attulisse, adeoque in se non esse nociva, sed in medicos culpam effe refundendam, qui usi iis non recte fuerunt,

§. XV.

Hisce jam discussis, que de primario pathologie fundamento, nimurum historiis morborum, earumque accurata consignatione & fructu exinde emergente pro compendio dissertationis proposita erant dicenda, prefo pede ad alterum, ut universæ medicinæ, ita etiam pathologie fundamentum explicandum, progredimur, quod est scientia corporis humani ex ipsa structura & mechanismo, qui in ea sapientissime administratur unice deproposita: siquidem corpus nostrum est machina summo Dei artificio & sapientissimo ordine constructa, ut motus

tus structuræ convenientes edat, quorum naturam & leges exquisite nosse oportet medicum. Quemadmodum vero hi vitam sive coaservationem corporis nostri summe corruptibilis tuentur & omnes ejus actiones tam vitales, quam naturales & animales secundum certum ordinem & divinum præscriptum moderantur, id est, sanitatem præstant: ita quoque illi ipsi perversi, turbati vel destruci morbos, imo tristissimam mortem efficiunt. Hæc motuum scientia ad prime utilis est medico, quia ex horum natura omnia ea, quæ circa corpus contingunt atque tum in corpore morboſo, tum in morborum historiis continentur, apte explicari debent. Et hoc est, quod medicorum recentiores urgent, omnia ex mechanicis rationibus deducenda ac derivanda esse, cum veteres & nonnulli pauci ex recentioribus in eo maxime deliquerint, quod nunquam ad motum, qui tamen omnium actionum formarum, effectuum ac qualitatum cum in physicis, tum in medicis causa ac fons est, sed tantummodo ad materiam ejusque affectiones & qualitates omnem cognitionem ac mentem direxerint.

§. XVI.

Fons autem & scaturigo errorum atque ignorantiae in rebus medicis explicandis prisco tempore fuit præcius, quod non ex ipsis rebus sapere & ex natura corporis nostri ipsum principium & cauſam demonstrationum physico-pathologicarum desumere voluerunt medici veteres, utpote illis structura corporis nostri, quam per anatomen accuratissimam indefesso studio & rara diligentia nostris temporibus ante omnium oculos præcelentissimi nominis viri posuerunt, penitus incognita fuit:

D de

26 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

de sanguinis progressu ac circulo ferme nullum vel obscurissimum habebant conceptum : artificiosissimam viscerum, emunctiorum & organorum, quibus ad sensationem anima utitur, fabricam ignorabant, neque solidi ac fluidi corporis naturam, motus leges stathmicas & hydraulicas, aeris vires, pondus ac elaterem callebant, quin imo nec ullius corporis mixti texturam ac crasis per chymica experimenta intimius detexerunt, unde non mirum videri debet, eos, uti in aliis medicinæ partibus, ita maxime in pathologia progressum aliquem laude dignum non fecisse. Magna igitur est utilitas, quæ ex interiori rerum mechanicarum ac physicarum notitia, quæ etiam ipsam physiologiam corporis nostri comprehendit, in pathologiam profuit.

§ XVII.

Vera itaque pathologia pro fundamento habet anthropologiam sive exquiritam machinæ humanæ cognitionem quoad partium solidarum structuram, fluidarum temperiem & motum ex regulis & legibus staticis, mechanicis, hydraulicis, opticis, principiis chemicis derivatam. Quocirca pathologus facile vider, omnia vitia & affectus præter naturam in corpore occurrentes derivari posse ac debere ex quantitate sanguinis & humorum vitiosa sive aucta sive immunita, ex fluorum intemperie, quæ, prout elementa sanguinem ingredientia varia sunt, diversa quoque est; & tandem principaliter ex motu vitioso, qui plerumque absolvit rationem morborum formalem, causamque immediatam. Deprehendimus enim attenta & accurata observatione in omni morbo vel motum esse imminutum,

un-

unde tonus ac robur partium perit & toni naturalis relaxatio exoritur; vel motum in nervis esse auctum, unde spasmodicarum contractionum & motionum convulivarum origo profluit; vel impulsum arteriarum & cordis majorem ac citatiorem, unde febrilis calor, sanguinisque humani intestina agitatio dependet.

§. XVIII.

Medicus itaque anatomæ & mechanices corporis nostri peritissimus ad omnia phænomena exponenda, imo etiam ad explicandas difficiles & alias abstrusas res, quæ in machina nostra fiunt & contingunt, redditur aptissimus, licet non semper eadem prorsus facilitate modum, quo hæc omnia in corpore fiunt, ob intellectus imbecillitatem & mechanismum paulo subtiliorem deprehendere & penetrare posit. Ita neutiquam dubabit, illas etiam actiones, quæ communi ratiocinandi more ab anima proficiuntur, mechanismo, ut ut subtiliori cerebri in acceptis esse referendas hanc præfertim ob rationem inductus, quod evidentissime observet, mores, cupiditates, vitia ac virtutes, prudentiam quoque & insaniam hominis a sanguinis conditione & mechanismo dependere & eadem per diætam varie immutari posse. Neque etiam facile his veritatibus inserviet phænomena morborum insolita ab incantationibus magicis, characteribus præstigiatoriis, artibus diaboliciis vel ab infastis astrorum influentiis derivabit, quod vulgi medicorum in morbis gravioribus vel paulo insolentioribus symptomatibus procedentibus, quorum veras causas determinare nesciunt, ultimum ignorantia est asylum; sed facile concedet, omnia hæc esse mechanice

D 2

pos-

28 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

possibilia, licet ob profundorem mechanismum intellectus horum effectuum plenam rationem dare & explicare nequeat, interim probe edocitus, multa fieri in natura, quorum vera ratio & fiendi modus ad unguem determinari haud possit.

§. XIX.

Præterea etiam nemo rerum corporearum, quibus continuo ad vitam & sanitatem tuendam & restituendam utimur, potentiam & vires corpus immutandi, destruendi & morbosas afflictiones inferendi inquirere, tantarumque mutationum causas adæquatas reddere potest, nisi veræ & solidioris physices ac mechanics fundamentis probe sit imbutus. Sane mirandum est, dari hodie quosdam, qui veræ physices studium in rebus medicis parum utilitatis habere affirmant ducti potissimum hac ratione, quod ex animi affectionibus & impressionibus perversis varias morbosas motiones nasci videant. Evidem non negamus, oriri quosdam morbos ex phantasiaz vitio & affectuum animi vehementia, interim tamen comprehendere non possumus, quo jure ac fundamento ex particulari hac observatione inferri queat, quod omnes motus & actiones animali cuidam principio debeat adscribi. Ecquis enim est, qui caifarum morbificarum, medicamentorum vel venenorum operationes plane peculiares & diversas, quas singula edunt, inde explicare conetur? Optimi & antiquissimi medicorum utilitatem veritatum physicarum in medicina probe agnoverunt, capropter in observandis iis rebus, quæ mutationem quandam corporibus inferre possunt, fuerunt diligentissimi & harum sedulam inquisitionem

nem

nem ubivis commendarunt. Testantur hoc maxime magni Hippocratis scripta physica, qua de humana natura, de corde, de locis in homine, de flatibus, de diætis, aëris, aquarum & locorum natura nobis reliquit, in quibus cum primis adstruere contendit, ex diæta & aëre non tantum variii generis nasci morbos, sed & mentem humam inde sapientiorem & stolidiorem reddi. Et sane quantum commodi ex solertia rerum præsertim earum, quibus continuo in vita nostra opus habemus, notitia physica in medicinam redundet, vix satis efferi verbis potest. Omni igitur opera eo annitendum est medico, ut iis præsertim in regionibus, ubi praxin exercere vult, in aëris constitutionem, potuum genera, alimentorum proprietates, climatis conditionem, soli indolem, viveadi rationes sedulo inquirat, siquidem ex aëris varia constitutione vita & sanitas vel mors aut morbi epidemii oriuntur & generantur. Deinceps cum potuum genera plurima sint, juvat aquarum indolem, itemque cerevisiarum, vinorum & aliorum liquorum usu receptorum peculiarem naturam indagari, eo quod ejusmodi res immediate suas virtutes cum fluoribus corporis nostri communicent, liquida enim pota, prout natura variant, ad certos ac varios morbos disponunt animantium corpora & nonnullis sunt salubria, aliis minus. Simili ratione ex alimentorum proprietatibus, locorum situ, soli natura, vivendi ratione certis populis familiari perspectis ac probe cognitis medicus magnam adipiscetur lucem explicandi, cur ad hos vel alios morbos certi districtus, nationes & populi sint dispositi. Firmum itaque manet ac stabile in usum quo-

D 3

que



30 DISSERTATIO SOLENNIS DE FUNDAMENTIS

que pathologicum & practicum non parum utilitatis ex
interiori rerum physicarum cognitione emergere.

§. XX.

Enucleatis igitur veræ pathologiæ fundamentis non abs re fore videtur, si pauca quædam de hypothesibus medicorum, quæ incrementum medicinæ mirum retardantur & certitudinem ejus maxime dubiam redundat, coronidis loco subjungamus. Sunt vero hypotheses falsa & obscura principia, quibus rerum medicarum explicatio ab auctoribus tentatur, licet satis infelicitate id fiat, cum omnibus phænomenis evolvendis non quadrant & nonnullis tantum explicandis inserviant. Huc spectant veterum calidum innatum, humidum radicale, spiritus insitus & influus, *Helmontii* archæus, dumviratus & occultum vita regimen, phosphorus cordis & cerebri, nonnullorum anima consilii, rationis & intentionis particeps & hujusmodi generis aliae plures cerebri fictiones, quas longum esset enumerare. Haec & similes hypotheses, præterquam quod parvæ utilitatis sint, infinitarum quoque inter medicos dissensionum causæ existunt, quæ non tantum in eorum scriptis, sed maxime, ubi ad lectum ægrotantium concurrunt, advertuntur, cum rarissime inter eos de morbi, quo quis laborat, genere, causis, multo minus de methodo & remediis præscribendis conveniat, ut potius subinde sibi adversentur et nihil frequentius advertatur, quam quod unus alterum erroris & damni illati in curatione arguat atque criminetur, quæ omnia ex eo proveniunt, quod illorum judicia & facta non firmis nervis, demonstrationibus & veritatibus nitantur,

sed

sed ex crudis ingenii commentis & lusibus errantis phantasiæ gignantur. Variæ vero hypotheses in medicina non modo discordiam inter medicos pariunt, sed etiam ægrotantibus perniciem adferunt & artis nostra dignitati multum detrahunt, ita ut etiam apud vulgus male audiat, quod suo tempore jam indicavit *Hippocrates*, dum *Libr. de vietū acutorum* §. 4. ait: *calumniam incurrit tota ars apud vulgus adeo magnam, ut neque omnino medicinam esse putent.* Nam in acutis morbis in tantum inter se differunt artifices, ut, quæ alter exhibet, optima esse putans, ea alter jam mala existimet & fere ob id artem vaticinatio- ni similem esse dixerint.

§. XXI.


Optandum igitur vehementer foret, ut omnes medici ex hypothesium præconceptarum labyrintho totis viribus se extricari contenderent, neque illis in totum adeo se manciparent ut dedecori sibi ducerent, ab iis, quas olim parum considerate foverunt, sententiis recedere, easque vel emendare vel porfus rejicere. Mihi semper hic mos fuit, quem perpetuo etiam aliis commendare soleo, in nullius verba magistri jurare, sed de omnibus prudenter dubitare, aliorumque dogmata expendere, eaque ad observationes practicas, tanquam ad lydium lapidem examinare ac desplicere, num usum in iis resolvendis & in praxi habeant. Cum enim medicina sit summa philosophia, & sanitatem ac vitæ longæ conservationem, morborumque & præcautionem & a corpore depulsionem unice pro fine habeat, merito ab omnibus incertis opinionibus, fictionibus & hypothesesibus est purganda & nequicquam in ejus doctrina, quod cla-

clarissime cognitum & demonstratum non est, admittendum.

§. XXII.

Ex hisce jam omnibus, quæ huc usque in Dissertatione nostra proposuimus, clarissime patere arbitror, quam exigua spes & fiducia in ejusmodi medicis constituenda sit, qui accuratas morborum historias prorsus neglectui habent vel ob veræ theoriæ & philosophiæ corporis humani defectum, rerumque, quæ saluti vel damno sunt, inscitiam, ex historiis & morborum observationibus cum cura etiam consignatis veras morbi causas elicere, vel, quod ad praxin tutam conferat, cum certa & fundata ratione eruere nequeunt. Neque opus ulteriori hac de re disputatione, cum quotidiana exempla & mille ab his facta per mortes & grorū experimenta id satis superque confirment.

F I N I S.



Halle, Dicks 1719. H-2



f


TA-701

nur 2. Sten bis vor verknüpft

Ruth

B.I.G.

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

VERÆ PATHO. LOGIÆ FUNDAMENTIS,

QUAM,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE,

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
ACADEMIÆ h.t. PRO-RECTORE MAGNIFICO
ET ORDINIS MEDICI DECANO,

PRO GRADU DOCTORIS

IN ARTE SALVTARI OBIINENDO

Placido Philiatrorum Examini submittet

JOHANNES TOBIAS LIPPERT,
LIGNICENSIS - SILESIUS.

DIE MAJI A. C. M DCC XIX.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

